



Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. IV. Communio cum Ecclesia exterior non sufficit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

Verba Ambrosii sunt : *Quamquam pro fide exulasset , & fidei sua reliquisset haeredes.* Nihilominus nec S. Hieronymus , nec S. Ambrosius , nec univèrsa Ecclesia credidit , salvari quemquam posse qui Factionem Luciferi Schismaticam sequeretur ; immo nec fidem ejus perstare posse illibatam. S. Ambrosius de fratre suo S. Satyro sermonem instituens , ait : *Non putavit tamen fidem esse in Schismate. Nam etsi fidem erga Deum (Luciferiani) tenerent , tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant , cujus patiebantur velut quosdam artus dividi , & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit , & Christi Corpus Ecclesia sit ; non videtur ab his exhiberi Christo fides , à quibus evacuatur ejus passio , corpusque distrabitur.*

Ambr. de excessu fratris sui. Nov. edit. c. I. p. 1127.

§. IV.

Communio cum Ecclesia exterior non sufficit.

Sola exterior cum Ecclesia communio ; apparentes , non veros Catholicos facit. Oportet præterea ut interior animi sensus eidem nos uniat . tum fidei ab ipsa acceptæ integritate , tum supremæ ipsius auctoritatis reverentia & agnitione. Quæ si desint , exterior communio larva est Hæreseos , & ars seducendi. Quapropter si quis Novator proscriptas ab Ecclesia sententias animo occulto retineat , non habet re ipsâ cum Ecclesia communionem , tametsi exteriori specie ei adherere videatur , & Sacramenta vel accipiat vel administret. Lupus est larvatus , qui ut magis noceat , in ovili se occultat. Manichæi pertinacissimè ambiebant sinu Ecclesiæ

con-

Aug. de
peccato
orig. c. 17.
In præf. ad
lib. ſub
nota.
Apud præ-
deſt. hæref.
88.

concludi, ut in arteriis venenum. Hos imitati Pelagiani, nunquam facere voluerunt apertum ab Eccleſia divortium, conſtanterque Catholicam communionem affectarunt. Hâc arte tanta ſimplicium facta eſt ſeductio animarum. *Multi, inquit Auguſtinus, eos propterea ſectabantur, quia catholica communioni videbant eſſe ſociatos. Conſervabant, inquit Marius Mercator, proprias in ſinu Eccleſiæ ſententias, quaſi Catholici eſſent: nec communionem, inqueiebant, differimus, ſed opinione.* Hanc Pelagianorum praxim hodie dum ſequuntur Janſeniſtæ. Hæreſes omnes, quantumvis oppoſitos ſectentur errores, in hac fallendi arte conveniunt. Sed fucis ejuſmodi atque dolis non capiuntur Catholici ſagaces & experrecti. Non ignorant, ipſo factò coram Deo excommunicatos eſſe eos, qui doctrinam damnatam ab Eccleſia, & hæreticam declaratam mordicus tueri pergunt: nôrunt, ab Eccleſiæ communionem re ipſâ reſciſſos eſſe, quamvis nullo ſpeciali & publico Decreto reſcindantur, & per conniventiam vel impotentiam Paſtorum tolerantur ad tempus, & exteriori gaudeant communionem fidelium.

§. V.

Exiguus Episcoporum manipulus à reliquis Orbis Episcopis quoad definiti dogmatis adhaſionem ſeparatus nullam habet cum Eccleſia communionem.

HÆc eſt ex ſtabilitis jam principiis legitima & neceſſaria conſecutio. 1. In Eccleſia Catholica non poteſt eſſe niſi una fides; &